DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ICTERO:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu,*
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ *decreto;*
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS HOLDSWORTH, ANGLUS.

Ad diem 1 Septembris, hora locoque ſolitis.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas! VIRG.

EDINBURGI:
TYPIS ACADEMICIS.
M,DCC,LXIV.

VIRO EXIMIO,

ALEX. MONRO, Jun.

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS

SOCIO DIGNISSIMO,

ANATOMES ET CHIRURGIAE

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI PERITISSIMO;

INGENII ACUMINE

ET

LITERARUM DISCIPLINA

ORNATO,

PATRONO SUO SUMMOPERE COLENDO;

HUNC STUDIORUM PRIMUM LABOREM,

GRATI ANIMI

MONUMENTUM,

DICATUM VOLUIT

THOMAS HOLDSWORTH.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30786976

DISSERTATIO MEDICA

DE

ICTERO.

CUM nobis lauream Apollinarem ambientibus, ut, in arte medica, ſpecimen quoddam in lucem proferamus, incumbat, quo inſtitutis ab illuſtri hac Academia ſancitis obtemperemus; Icterum tractandum ſelegimus, morbum cognitu facilem, ſanatu vero ſaepe perdifficilem. Diverſa autem medicorum placita de hoc morbo recenſere, quae antiquitatis monumenta nobis ſuppeditarunt; vel de remediis *Specificis* dictis, in ejuſdem curatione uſitatis, diſſerere; opus eſſet ſane taedii plenum, et parvae prorſus utilitatis: Ea igitur intacta, atque ſicco, ut aiunt, pede praetereamus; et, in proſequendo noſtri thematis filo, ex certis manifeſtiſque phaenomenis, verum atque utile aliquid deducere et illuſtrare conemur.

NOMINA MORBI.

ICTERUS, Arquatus, vel Arcuatus, Morbus Auriginoſus, Morbus Regius, apud auctores, nuncupatur: Eorumque nominum ratio a diverſis petita eſt cauſis.

Icterus enim a ſimilitudine nomen accipit; quoniam aegri colore ſimiles fiunt aviculae cognominis, ſylvicolae, quae et *Galbula* vel *Galgulus*, apud Latinos, dicitur (*a*). Alii autem referunt ad quadrupedis ſpeciem, e muſtelarum ſylveſtrium genere, quas Graeci Ικτιδας appellant, Latini *Viverras*, quae oculos auricolores habent (*b*). Arquatus, vel Arcuatus, dicitur, a diverſicoloribus arcus coeleſtis radiis deauratis, quos, licet ſub

(*a*) Plin. hiſt. natur. edit. in uſum Delph. Tom. IV. l. 30. p. 754.

(*b*) Aret. Cappadox de cauſ. et ſign. morb. diuturn. cap. de regio morbo.

ſub forma foediſſima, repraeſentat; et, eadem ratione, Auriginoſus. "A ludis, laſcivia, aliisve, per quae mens exhilaretur," curari ſolet; "ob quae Regius Morbus dictus videtur" (*a*).

DIAGNOSIS.

ICTERUS autem adeſſe dignoſci potuit, ubi interea cutis oculique colore flavo ſuffunduntur: Urina etiam materiâ biliosâ impregnatur; adeo ut coloris admodum rubri fiat, ſedimentum copioſum fuſcum deponat, et flavedinem linteo eidem immerſo impertiatur. Faeces etiam alvinae plerumque albae aut cineritiae: Plerumque, *inquam*, licet non ſemper; quum fieri poteſt, ut, morbo interea exiſtente, tincturâ flavidâ ejiciantur. Cujus rei cauſam explicare poſtea conabimur.

MORBI

(*a*) A. Corn. Celſ. Cap. xxiv. p. 167.

MORBI SYMPTOMATA.

Hujus morbi initium frequenter praecedit aut comitatur tenſio quaedam, et quaſi ponderis gravantis circa praecordia ſenſatio. Deinde flavedo leviuſcula in angulo oculorum interno cernitur; et urina parum plus colorata (*a*). Doloris ſenſus afficit partes circa regionem ventriculi inferiorem, ſecundum veſicae felleae ejuſque ductuum directionem extenſus. Jam facies collumque flaveſcit: Sed in adnata oculorum tunica magis conſpicitur flavedo; quae tum denique per univerſam corporis ſuperficiem exſurgit. Urinae prodeunt obſcure rubentes, ſedimentumque craſſum fuſcum copioſius deponunt,

(*a*) Baron Van Swiet. comment. in aphor. Boer. tom. III. p. 131.

deponunt, linteamina colore croceo tingentes. Alvi excrementa plerumque albent, ſuntve coloris cineritii, et ſegnius ad dejiciendum ſollicitantur. Non raro occurrunt et alia ſymptomata, admodum ſane moleſta: Anxietas nimia, laſſitudo univerſalis, nauſea, vomituſque; aliquando etiam dolores in abdomine violentiores (*a*): Cutis pruritus. "Saliva quoque flava exſpuitur, et omnia adſumpta ſaporis ſunt amaricantis" (*b*). Si vero morbus adhuc vigeat et ingraveſcat, urina ipſa, nec non et totum corpus, in colorem nigricantem divergit; pedes intumeſcunt, corpuſque totum hydropicum evadit (*c*): Quibus malis, infelix aegrotans, graviter afflictus, languet; donec tandem mors exoptabilis, ſupremum miſeriarum levamen, ſcenam triſtem claudat.

SYMPTOMATA

(*a*) Baron Van. Swiet. loco citato.

(*b*) Frid. Hoff. oper. omn. Tom. 3. p. 301.

(*c*) Baron Van Swiet. loco citato.

SYMPTOMATA iſta, prout a diverſis ſane cauſis, quae hunc morbum producunt, ſub eadem facie et ordine non ſemper procedunt. Quoniam vero, ni fallor, apud omnes jam convenit, Icterum a diffuſione bilis cum maſſa fluidorum provenire; priuſquam diverſas cauſas, hunc morbum producentes, expedire conemur, oportebit diſcrimen inter bina bilis genera, hepaticae nempe et cyſticae, breviter oſtendere: Omiſſa omnino quaeſtione, quo tandem pacto in hepate bilis ſecernatur; ut quae nos ab inſtituto longius abduceret.

DE DIFFERENTIA INTER BILEM HEPATICAM ET CYSTICAM.

BILIS autem, quamprimum a fluidis in hepate ſecernitur, e compluribus porulis in canalem unicum grandiuſculum, cui nomen *Ductus Hepaticus*, excipitur: Is vero Ductus, aliquantulum in longitudinem

longitudinem exporrectus, et alteri canali, nomine *Cyſtico*, de veſica fellea ducenti, ad angulum acutiſſimum conjunctus, *Ductum Communem Choledochum* efformat, qui bilem, cum hepaticam tum cyſticam, in duodenum transfert.

De generatione bilis cyſticae, opinio anatomicorum multifaria ac diverſa: Alia enim ab hepate, per ductus quoſdam, ut aiunt, hepatico-cyſticos, in veſicam felleam, bilem deduxit (*a*); alia vero in veſica fellea, per glandulas huic receptaculo peculiares, eandem ſecrevit (*b*). Quum vero talium ductuum exiſtentia, diſſectionis ope, artiſve ullius uſu, apud anatomicos hodiernos accuratiſſimos accepto, in corpore humano, nuſquam diſcerni queat; quumque glandulas veſicae felleae, materiam, a bile diverſam, ſecernere compertum ſit (*c*): Alia denuo opinio,

(*a*) Vide Winſ. anat. tom. 2. p. 163.
(*b*) Sylvius, et Malpighius de lien.
(*c*) Haller. opuſ. pathol. obſ. xxxiii. hiſt. 13. xiv.

nio, apud pleroſque deſponſata, et jam vulgo recepta, videatur magis eſſe veritati conſentanea ; bilis ſcilicet hepaticae partem quandam in veſicam felleam, per ductum cyſticum, regurgitari, ibidemque commorantis particulas aquoſas abſorberi, majorem inde et ſpiſſitudinis et acrimoniae gradum acquirere, éque veſica per occaſiones exprimi.

Discrimen hinc unicum, inter bilem cyſticam et hepaticam, ex eo naſcitur, quod illa ſtagnis aliquamdiu obhaereſcat ; non vero quod ullam materiam, ſibi peculiarem, in veſica fellea bilioſam acquirat. Namque, prout obſervavit Cl. Hallerus, " Quoties calculus iter cyſtici ductus obſidet, vel manus anatomici ductum cyſticum ligavit, praeter mucum exiguum inſipidum aut aquulam exhalantem, nihil folliculo ineſt " (*a*). Hiſce utcunque praemiſſis, jam conabimur accuratius definire, quo tandem pacto bilis reabſor-

ptio

(*a*) Haller. Prim. lin. p. 448.

ptio conficiatur, ut morbum hunce creâſſe valuerit. Phyſiologos inter, vulgo, etiamſi conveniat, ſanguinem, in jecinora deductum, particulis ad bilem conſtituendam idoneis abundare; priuſquam vero mutationes, ab hoc viſcere inductas, ſubierit, bilis effectus procreâſſe vix ac ne vix valere. Argumentis etenim aliis omnino praetermiſſis; ſi quidem res ita ſeſe haberet, jamdudum compertum eſſet, obſtructionem qualemcunque venae-portarum, aut ejuſdem ramorum, leviuſculam, Icterum procreaturum *(a)*. Quum quidem omnibus, ex adverſo, conſtet, inflammationem in jecore, immo admodum periculoſam, ſine ulla ſpecie icterica, vel minima, non raro concitari; jecurque ipſum mirum in modum ſuppuratione conſumptum, morbumque Arquatum etiamnum prorſus abfuiſſe: Quinetiam docemur a conſuetudine fere quotidiana, ſchirrum, majorem jecinoris

 partem,

(*a*) Edin. Med. Eſſ. Vol. 1. p. 247.

partem, ſine morbi hujuſce ingreſſu, obſidere poſſe; cujus rei documenta, in cadaveribus diſſectis, apud Noſocomium Divi Thomae Londin. complura conſpexi.

Hinc autem, ut fieri nequit quin, ſecundam naturam, opinaremur, extremitates ipſas vaſorum bilem ſecernentium, talibus ex morbis hepaticis, majorem in modum neceſſario frequenter affici, dum morbus interea Arcuatus procreari nequeat; ita quidem ex eo demum ſequitur, ut hicce, bile tandem maturius ſecreta, ſolummodo exortum habeat. Deinceps etiam fuit, ut auctores quidam recentiores, morbi hujuſce originem, vel obſtructioni in ductu choledocho cyſticove, vel ſaltem reabſorptioni bilis cyſticae, praecipue attribuerint; cauſam afferentes, bilem hepaticam, ex indole blanda et inſipida ſibi peculiari, ad eundem morbum procreandum parum ſufficere.

Quum

Quum vero exploratum habemus, diſcrimen hepaticae a bile cyſtica ex eo omnino enaſci, quod bilis cyſtica, in veſicam felleam prorumpens, ad cumulum confluat; inde, ab obſtructione ductus hepatici, bilis accumulatio, inter eandem ductus impediti partem et jecur ipſum, ut inſequatur neceſſarium; qua bilis hepatica, paludibus quaſi reſtagnans, abſorptiſque particulis ejuſdem aquoſis, indolem bilis cyſticae ſibi conciliabit.

Quum vero bilis a jecore tranſitus per canales ſit primo exiles, deinde paulatim capaciores; obſtructiones quidem ductûs hepatici rarius ideo enaſci conſueverunt. Quandocunque autem occurrunt, adeo ut tranſitum bilis in ductum choledochum impediant, tum, procul dubio, ad Icterum omnino procreandum invaleſcunt.

Utcunque vero ſit, cum quidem clare pateat, bilem cyſticam in veſica fellis haud progigni, ſed in iſtum folliculum, é ductu choledocho, motu retro-

grado

grado deferri; compertum erit, ni fallor, obſtructionem ductûs cyſtici, niſi in caſibus quibuſdam poſtea commemorandis, perniciosſum huncce morbum procreare non valere. Bilis enim, canali cyſtico ſimul occluſo, tum demum in veſicam fellis promanare nequit; et, ſub eis anguſtiis tandem coarctatus, neceſſario cogitur ut, quacunque ſibi minus obſiſtatur, erumpat; et, qua detur effugium, in ductum plerumque choledochum, ruat; et, niſi hicce obſtruitur, in duodenum ſeſe diffundat. Ac, licet conſueta bilis copia, quo tempore ductus cyſtici obſtructio ſit, in veſica contineretur; é parvulo tamen cumulo quem in ſtatu naturali veſica capiat, eoque cum tanta fluidorum circumeuntium maſſa diluto, parum quidem proficeret ad morbum Auriginoſum producendum: At, ſi quidem omnino ad hoc ſufficeret, leviuſculum admodum et tranſitorium provocaret. Quae quidem

dem omnia ſatis confirmantur é documentis a diſſectione petitis.

Professor noſter eruditiſſimus, Cl. Rutherfoord, in praelectionibus ſuis, mentionem fecit hominis cujuſdam, cui conſpiciebatur ductus cyſticus calculo, ad molem nucis moſchatae, obſtructus; indicio tamen Icterico, vel minimo, nuſquam reperto.

Professor etiam noſter, admodum ingenioſus, Cl. Monro, Filius, praeparatum, uti dicunt, anatomicum inſigne ſatis oſtendit, ubi calculi complures, figurae quodammodo regularis, in veſica fellea conſpiciebantur. Bini porro hujuſmodi calculi ductum cyſticum accurate adeo occluſerunt, ut aëri ipſi, in ductum communem infuſo, ad veſicam felleam tranſitum negarent; atque veſica bile prorſus fere vacua deprehenſa fuerat; nec ulla interea Icteri veſtigia uſquam comparuerunt.

Opinioni itidem noſtrae ſuffragari videntur et alii caſus hujuſmodi, prout

à

à Cel. HALLERO recenſentur (*a*). Necnon et MORGAGNIUS, ſane illuſtriſſimus, dum cauſas complures recenſet, quae pernicioſo huic morbo occaſionem praebent, "Cyſticam," ſcil. obſtructionem, "non dixi," inquit, "propterea quod haec per ſe non poteſt bilis iter ab hepate ad inteſtina impedire" (*b*). Cui ſententiae ut opituletur, complures caſus, ſatis notos, huc ſpectantes, ad ſuffragium ferendum adducit (*c*).

HINC, ut opinor, jamdudum conſpicuum videbitur, obſtructionem canalis cyſtici hunc morbum creare non poſſe; Cum porro ductus choledochus communis, ad oſtium ſuum in duodenum apertum, multo anguſtior fiat, ibi demum, contra liberum bilis tranſitum, obſtructiones quae à vitio bilis oriuntur plerumque locum habent.

CAUSAE

(*a*) Opuſ. Pathol. Obſ. xxxiii. hiſt. xiii. & xiv.

(*b*) De ſedib. et cauſ. morb. Tom. ii. p. 75.

(*c*) Ibid. ——— p. 88.

CAUSAE OCCASIONALES.

Quae mox ſequuntur cauſae, huic morbo occaſionem praebentes, praecipuae videntur:

1. Inflammationes, aut tumores partium jecoris circa ductus biliares; vel tumores in viſceribus hepati vicinis.

2. Sordium colluvies in ea parte duodeni quae ductui choledocho contigua.

3. Canalium biliarium affectus ſpaſmodici.

4. Laterum ductûs choledochi vel hepatici concretio.

5. Bilis craſſa ac viſcida.

6. Calculi biliares.

Hasce vero cauſas, quatenus reputentur infeſtae, ſingulas examini ſeorſum ſubjiciendo, definire conabimur.

§ 1. Inflammatio, vel tumor hepatis, viscerumve aliorum proxime adjacentium.

Quamvis hactenus probatum fuit, jecur interdum majorem in modum inflammari,

inflammari, aut ſchirroſum evadere poſſe, dum Icterus interea non concitatur; ſi tamen inflammatio, vel ſchirrus, ductum hepaticum aut communem adeo obſederit ac affecerit, ut impediatur aut protinus occludatur conſuetus bilis tranſitus, tum quidem hujus oppilatae inſequetur plus ſolito abſorptio: Hocque lobulo imprimis *Spigelii*, ſchirroſo facto, contingere poteſt.

Glandulae porro lymphaticae, quarum complures intra *Capſulam Gliſſonii*, ductibus biliariis contiguae, includuntur, intumeſcentes, hos comprimendo, ſimili porro ratione Icterum conciliare queunt.

Schirrus, aut tumor pancreatis, eiſdem rationibus, effectus cognatos multoties promovere conſuevit: Cujus exemplar luculentum praeſtitit Celeb. Mead (*a*): Et vir in praxi verſatiſſimus, Clar. Rutherfoord noſter, aliud etiam commemoravit, in quo pancreatis apex

(*a*) Praecept. et Mon. med. cap. ix. § I.

apex, canali choledocho vicinus, ſchirris obductus, conſuetos bili fluxus adeo impediverat, ut Icterum perpetuum ſuperinduceret.

Intestinum colon, ductus choledochi introitum, é propinquo, praeteriens, induratis foecibus vel tophaceis concretionibus repletum diſtenſumque, nonnunquam adeo compreſſit, ut morbum huncce promoverit.

Uteri gravidi preſſura ac diſtentio, quibuſdam in caſibus, eoſdem effectus procreant *(a)*.

§ II. Colluvies in regione duodeni, ductui cholèdocho contermina.

Convolutiones flexuraeque, in diverſis fiſtulae inteſtinalis partibus, cum variae ſint ac diverſimodae; ſic etiam praecipue, talis, in ea duodeni regione canali biliari contigua, informatur curvatura, ut alimentis fere ſemper occurrat remora aliqua, dum ibidem interea

C bili

(a) Baron Van Swiet. Tom. iii. p. 96.

bili ſuccoque pancreatico infuſis commiſceantur; adeo ut chymus, in eis locis obhaereſcens, ductus choledochi oſtium ita impediat occludatve, ut bilis proinde in ductibus ſtagnantis copia nimia, per vaſa abſorbentia, auferatur: Unde, fortaſſe, infantes recens nati ad hunc fere morbum proclives *(a)*. Cum tamen alioqui, ob mucum inſpiſſatum intra duodenum in cumulum redactum, fieri queat, ut exoriatur iſte morbus.

§ III. Canalium bilem ferentium affectus spasmodici.

Intervallum a ventriculo ad jecur cum propemodum ſit immediaté conterminum, cumque ductus choledochus inter duodeni tunicas curſu obliquo feratur, priuſquam id ſubeat; hinc fit ut cauſae diverſae, qualis emeticorum nimis acrium aut catharticorum facultas (*b*), ingeſtorum acrimonia, flatus in duodeno ventriculove, ſpaſmos concitantes,

(*a*) Ibid. p. 95.

(*b*) Hoff. Oper. Omn. *Tom. I. p.* 314.

concitantes, tantas in canalium biliarium tunicis ſtricturas ſimul inducere queant, ut bili in inteſtino tranſitum negent.

EASDEM inſuper ob rationes, indicia comparuere toties Icterica poſt febriles intermittentium paroxyſmos *(a)*.

QUINETIAM compertum, affectus animi violentiores (*b*), perturbationeſque repentinas, iracundiam, formidinem *(c)*, moeſtitiam, in eventus iſtos conducere; et Icterum, qui hiſtericas, hypochondriacas, et alias id genus querimonias, comitetur, eiſdem ex fontibus oriri.

TALIBUS vero ſub rerum concurſibus, feliciter morbus non diutinus perdurat: Amotis enim ſpaſmis, bilis fluxus meatus ſolitos ac naturales cito recuperat, omneſque adeo indicationes Ictericae, brevi, de veſtigiis ſuis exules, evaneſcunt.

CREDIDERUNT

(*a*) Ibid. (*b*) Morgagn. de ſed. et cauſ. morb. Tom. II. p. 73. § ii. (*c*) Ibid. § iv.

Crediderunt etiam nonnulli, morſus viperinos, in corpus humanum inflictos, à constrictione ductuum biliarium, Icterum conflâſſe: Cum tamen talis infortunii deſcriptio ſymptomata non ſatis dilucide recenſeat, genuinum Icterum quae conſtituant; exiſtimarem effectus ejuſmodi diſcolores, de cauſis potius alienigenis, quam de ſtricturis ductuum biliarium ſpaſmodicis, omnino proceſſiſſe.

§ IV. Laterum ductus choledochi vel hepatici concretio.

Accidere etiam poteſt, ut ductûs hepatici vel communis biliarii parietes omnino coaleſcant. Raro quidem id evenire conjicere licet, quum nulla ejus ſit apud auctores memoria; aliquando vero contingere, quae ſubſequitur probat aegrotantis hiſtoria, ab anatomiae Profeſſore noſtro, Cl. Monro, Filio, in praelectionibus ſuis memorata, partibus morbo imprimis affectis, quas Ipſe, praeſente

ſente Patre ejus, ex cadavere exſecuit, ſimul monſtratis: "Vir generoſus, poſt biennium atque ultra, Ictero nullis remediis cedente, ſudoribus diffluens, macie conſumptus, occubuit. Cadavere aperto, viae biliariae duplo, ad minimum, ſolito capaciores; et quidem non craſſa bile, ſed tenui, turgidae conſpiciebantur: Omnibuſque accuratiſſime examini ſubjectis, nec bilis ipſa, nec vicina organa, in vitio erant; ſed ductûs ipſius communis parietes, prope oſtium ſuum in duodenum hians, per digiti quartae fere partis longitudinem concreverant."

§ V. Bilis crassa ac viscida.

Bilis profecto, quae, dum in forma ſua naturali permanſerit, conſiſtentiae fuit potius haud modice tenacis, quibuſdam in caſibus, inſpiſſationis gradus, non mediocres, ſibi ſuperinducere conſuevit; idque magis in hominibus, ſub aetatis decurſu *(a)*, vitam otioſam ac

(*a*) Coe on biliary concret. cap. I.

ac ſedentariam degentibus *(a)*; vel à re qualibet, quae, cur in veſica fellis diutius immoretur, occaſionem praebet.

Cadaverum inſpectiones, ſtadiorum conſiſtentiae biliaris multiplicium, priuſquam in calculos mature coctos ea concreſcat, documenta complura nobis ſuppeditant: Cujus aſpectus omnes multiformes, dies equidem deficeret, ſi enumerare conarer. Quod vero bilis, jam ſpiſſior, morbum huncce procreâſſe queat, ab hiſtoriis Ictericis, haud paucis, conſpicuum videtur; ubi bile lenta, viſco fere ſimili, per anum *(b)* vel aliquando per os ejecta, morbus proinde ſublatus *(c)*.

§ VI. Concretiones calculosae.

Inter diverſos corporis humores generandis ac fovendis calculis opportunos, nullus demum quam bilis ad eam rem magis proclivis; quod apparet ex innumeris exemplis apud auctores

(*a*) Mead. Praecep. et Mon. med. cap. ix. § 1.

(*b*) Coe on biliary concret.

(*c*) Bar. Van. Swiet. Tom. III. p. 132.

ctores commemoratis talium concretionum, in veſica fellea, in ductu communi aut hepatico, hepatiſque nonnunquam partibus interioribus, procul deliteſcentium (*a*).

Cum vero maximum, in colore, conſiſtentia, aſpectu, gravitate ſpecifica talium concretionum, interſit diſcrimen (*b*); inveſtigare proprietates ſingulas, unicuique peculiares, nimis prolixum foret: Sufficiat, ut effectus commonſtrem quos ad morbum Arquatum promovendum conglomerant.

Calculi biliares, qui, maxima ex parte, veſicae fellis ingeneraſcere videntur, ob naturam fortaſſe bilis ejuſdem magis viſcidam, multifarii frequenter ac pluriformes occurrerunt, ſub omni propemodum qualemcunque mens humana excogitare potuerit imagine ac figura reperti (*c*); cum tamen etiamnum apud veſiculam iſtam diu cunctabundi

(*a*) Gliſſon. hiſt. hepat. p. 89. (*b*) Vide, Coe on biliary concret. cap. 2. Morgagn. de cauſ. et ſed. morb. Tom. II. et Haller. Opuſ. Pathol. Obſ. xxxiii. (*c*) Idem.

tabundi reſideant ac deliteſcant, nec ullos omnino effectus notabiles aut moleſtos inducant *(a)*. At vero per varios caſus, qualis ſternutatio, tuſſis, vomitus, motuſve corporeus incompoſitus, aut res deinceps quaevis offendens, in veſicam fellis, parteſve contiguas, preſſuram aliquam majorem concitans; ex iſto demum receptaculo extorres, in canales biliares expelli queunt et ablegari: Nec minus exinde tantum doloribus graviſſimis aegrum torquere conſueverunt; ſed etiam, ſecundum partem quamque obſtructam, calculive molem aut formam, quantam qualemve, bilis tranſitui majus aut minus impedimentum ſuperinducere; et, multis in caſibus, ejuſdem deſcenſus ad inteſtina prorſus inhibere.

Obstructiones canalis cyſtici, licet jam antea ſatis innuimus, ut concinnetur inde morbus Arcuatus vix ac ne vix efficaces fore: Cum vero magnitudines et inaequalitates, multifariae quidem

(*a*) Morgag. de ſed. et cauſ. morb. Tom. II. p. 83. 84.

dem ac diverſae, quae concretionibus calculoſis ineſſe non raro cernantur, in ſupputationem referuntur, conſentaneum videatur, eiſdem ob calculos hujuſmodi concretos ſubortis, irritationem in eos atrocitatis gradus, ut ductus hepatici communiſve ſtrictura ſpaſtica provocetur, concitari poſſe; morbumque exinde Auriginoſum conflari. Alioqui vero, niſi ſub conditionibus iſtiuſmodi quibuſvis, obſtructiones canalis cyſtici, ſeorſum ſpectatae, ad hunc morbum inducendum parum valebunt.

CAUSA PROXIMA.

Constabit ex eis quae jam protulimus, cauſam huic morbo proximam ſubeſſe, in ductu hepatico aut communi, bilis obſtructionem, et in maſſae ſanguineae gurgitem reſorptionem.

Observatum tamen, vel ſub imperiis hujus aegritudinis obſtinatiſſimis, faeces alvinas colore flaveſcentes excluſas *(a)*: Unde conjecturas forte faceremus,

(a) Hoff. Oper. Omn. Tom. IV. p. 242.

mus, ductus choledochi vias, eiſdem in malis, fuiſſe omnino patulas ac perfoſſas. Cum vero nobiſcum reputaverimus, rebus ſic circumſtantibus, cauſas ejuſdem maxime frequentes, vel ductuum ſpaſmos vel calculos bilioſos reperiri; ſi tales rerum forent aſpectus, miremur omnino non oportebit.

Nam ſi quidem é ſpaſinis proceſſerint; cum ſtrictura, ſedato paulatim atrocitatis impetu, vel in minimum evincatur ac remolleſcat; tum profecto nonnulli bilis copiae locus patebit, ut ad inteſtina liberius ſubſidat ac deſcendat: Si porro é calculis; hi vero, licet in canali ſtationes ſuas adeo conſervent, ut Icterum pariant; ob diverſas tamen ac fortuitas eorundem poſituras, nec minus ob formarum ſpecies ac menſuras incertas ac enormes; haud dubium, quin bilis rivuli, quantumvis tenues, itineribus partim adapertis profluentes, erumpant, et luteam faecibus tincturam

ſuperin-

ſuperinducant; dum interea morbus invaleſcit.

CUM vero calculi propagine fere innumera repullulaſcunt: Si quidem, obſtructione demum remota, ductuum ora vel unius ad inteſtina prolapſione recluderentur; alii rurſus é veſica fellis devolventes deſcendere, ac priuſquam ſymptomata à praecedentibus concitata dimoveri queant, occluſionem inſtaurare, poſſunt.

PROPTEREA, ſi bilis deſcenſus ad inteſtina, ex parte, non vero ex toto, praecludatur, adeo tamen ut regurgitatio biliaris incitetur, hinc erit ut Icterus inde inſequatur; et cutis, urinae, faecumque color proinde, caeteris paribus, eo erit altior quo obſtructio anguſtior, et commoratio diuturnior. Cum vero bilis itinera, ex toto perpetuoque, deveniunt occluſa; ſicut accidit plerumque, vel à tumoribus canales comprimentibus, vel à lateribus coaleſcentibus et concretis, vel etiam ubi calculus aditum grandiuſculus occupaverit, a-

deo

deo ut nulla bilis permeare queat; omnis fere corporis pars, cum externa, tum interna, ejuſdem tinctura conſpicietur imbuta et contaminata; quod etiam, apud auctores complures, obſervatum, confirmatumque.

Cel. MEAD hiſtoriam meminit, ubi totum corpus, exceptis fibris muſcularibus, flavum evaſerat (*a*). Documenta etiam apud HOFFMANNUM proſtant, ubi, in Ictericis, pulmones, ventriculus, cerebrum, cartilagines, oſſa, bili ſuffuſa (*b*); ſaliva etiam flavedine colorata (*c*). BAGLIVIUS inquit, "In Icterico, loco ſanguinis é naribus, et é cucurbitulis ſcarificatis, aqua flava ſolummodo prodibat (*d*)." Immo etiam Ictericorum ſudor adeo nonnunquam bile impregnatur, ut linteamina, eodem humectata, colore croceo ſuffundat (*e*). Hinc, ubi tam copioſa bilis inundatio humoribus interſit,

(*a*) Praecep. et monit. med. cap. ix. §. 1. (*b*) Oper. Omn. tom. 3. p. 301, § iv. (*c*) Id. p. 309. Obſ. iv.
(*d*) Oper. omn, p. 432. (*e*) Baron. Van. Swiet. tom. 3. p. 101.

interſit, nec mirum eſt corporis ſuperficiem colore vireſcente aut nigricante conſpurcatam videri. Unde etiam enaſcatur iſtius morbi ſpecies, vulgo, *Icterus Niger.*

Quandoquidem vero medicaminum ſucceſſus, in hocce morbo curando, de cauſarum multum inter ſeſe diſcrepantium inveſtigatione et cognitione magnopere pendeat; neceſſarium deinceps erit, ut indicia characteriſtica ſingulis peculiaria, quibus unaquaeque diſcriminatim internoſci queat, oſtendere ac commonſtrare conarer.

SIGNA CAUSARUM.

INFLAMMATIO. Priuſquam autem color ſubflaveſcens, in corpore humano late diffuſus, ſeſe oſtendit, aegrotus dolorem in hypochondrio dextro ſubobtuſum, degravantem fixumque, perſentiſcere conſuevit; ardore et anxietate circa praecordia comitantibus; una cum inflatione et tenſione dextri hypo-

hypochondrii, cibi faſtidio, cardialgia, nauſea, et ſape vomitu; necnon et ſiti vix modica, lingua arida, nonnunquam ſubnigra; pulſu citato, aliiſque Hepatitidis ſymptomatibus vulgo notatis.

TUMORES, &c. Tumores canalibus adurgentes, cum varias ob rationes inter ſeſe diſcrepant, ita cognitu ſane difficillimum, ecquando morbi cauſa ſiant. Nam niſi tumor ab externis partibus contrectatus innoteſcat, per nullos, quos noverim, characteres pathognomonicos diſtingui poſſunt: Interea vero, niſi ſymptomata Icterica medelae conatibus renunciant, et nulla mora languoribus interpoſita paulatim invaleſcunt, abſentibus interim doloribus atrocioribus quos calculi biliares excitant; ſuſpicioni locus erit, ne tumores adſint, aut ne canalium muri coaluerint.

SORDIUM STRUES. Crudorum in duodeno congeſtiones in puerulis, ut plurimum, occurrunt; et, eiſdem in caſibus, ſymptomata Icterica communia

ac

ac notiora, plerumque manſueta, curatione levius adhibita faceſſunt.

DUCTUUM SPASMI. Cum vero canalium affectus ſpaſmodici corpora vulgo ſyſtematis mobilioris inceſſunt, cumque eorum cauſae remotae palam fere innoteſcunt, ideo facilius internoſci conſueverunt. His autem in caſibus, dolores ſaepius acuti, non vero locis affixi; et color flaveſcens non raro conſpici ſolet, ſine eo ſenſu gravedinis et anxietatis, qui aliis in caſibus praeceſſerit.

BILIS CRASSA AC VISCIDA. Haec cum ſit cauſa, dolores non admodum acuti plerumque exſtiterunt; anxietas autem, aegritudo, et nauſea, maxime intolerabiles evadunt; et vomitus violentus, antequam flavedo appareat, non raro concitari ſolet.

CALCULI BILIARII. Hic autem dolor repentinus, gravis, et lancinatorius, aegrum torquet, in hypochondrio dextro circa ſcrobiculum cordis, vel in latus

latus dextrum vergens; interdum conſtans, plerumque cum exacerbationibus ac remiſſionibus, parturientium aerumnis haud abſimilis (*a*); quem etiam comitatur anxietas nimia praecordiorum, ſpirandi anguſtia, nauſea, et nonnunquam ipſe vomitus, quo tempore ſymptomata Icterica deveniunt conſpicua; quibus accedit, quod ejuſmodi aegrotantes non erecti, ſed dorſo flexo incurvati, incedere poſſint.

RATIO SYMPTOMATUM.

QUONIAM ſymptomata complura, quae huncce morbum comitantur, maxima ex parte, à bilis defectu in primis viis, &c. exortum habeant; haud alienum eſſet, priuſquam ad rationem ſymptomatum reddendam progrediamur, ſi liquoris iſtius indoles et proprietates chemicas, ſibi peculiares, exploraremus: Cum vero talis inquiſitio terminos inſtituti noſtri longius educeret, notâſſe ſufficiat, quod, ex obſervationibus

(*a*) Coe on biliar. concret. cap. iii. p. 142.

bus et experimentis in bilem factis, fluidi iſtius uſus praecipui videantur eſſe ſequentes.

1*mo*, " Alimentorum partium aquearum cum oleoſis miſcelam adjuvare. 2*do*, Alimentorum vegetabilium indolem aceſcentem, ab animalium natura alienam, corrigere, et in alcaleſcentem immutare. 3*tio*, Stimulo ſuo motum inteſtinorum periſtalticum ciere, et ad faeces alvinas promovendas, et demum expellendas, valere" (*a*).

Tenſio et ſenſatio quaſi ponderis gravantis circa praecordia.] Ductu hepatis excretorio ſemel obſtructo, bilis fluxus, in tranſitu ſuo ad inteſtina impeditus, in veſicam fellis et canales biliarios regurgitat; ibi, dum accumulatur, hae ſane partes cito impletae turgeſcunt; unde ſymptomata iſta exortum habent.

Oculorum flavedo leviuſcula et urina parum plus colorata.] Brevi poſt tempore, cum bilis exitus obſtruatur, partes ejuſdem

(*a*) Vid. Ingen. Dr. Ramſay Diſſert. Inaug. de Bile.

dem tenuiores abſorbentur, cumque fluidorum maſſa circumfluentium penitus diffunduntur, et in vaſis oculorum admodum pellucidis, ſuper tunicam opacam *albugineam* dictam decurrentibus, primum cernuntur; et, ſanguini commiſtae, urinae colorem etiam croceum impertiuntur.

Dolor circa regionem ventriculi inferiorem.] Hicce fere dolor à canalium biliarium diſtenſione nimia plerumque procedit; et eo magis minuſve acutus aut obtuſus, quo obſtructionis cauſa violentior aut manſuetior, evadit.

Faeces albidae et alvus conſtricta.] Bile ad inteſtina non amplius jam penetrante, faeces interea naturali ſuo colore deſtituuntur; tuboque inteſtinali conſuetis humoribus eoque ſtimulo quem bilis ipſi concedit defraudato, motus inteſtinorum periſtalticus debilitatur; unde enaſcitur alvi conſtrictio.

Anxietas nimia et laſſitudo.] Ex accumulatione humorum in regione dextri

hypo-

hypochondrii ; ex ſenſu etiam ingrato in ventriculo tuboque inteſtinali prae bilis defectu, ſuborto ; nec non et é motu periſtaltico diminuto, totiuſque alimentarii canalis functionibus perturbatis.

Nauſea vomituſque.] Occluſo bilis tranſitu, dolor circa ductus biliares non ſolum enaſcitur, qui, in nervos ventriculi irritationem concitans, ſymptomata iſtiuſmodi ingenerare queat ; ſed etiam, à bilis in primis viis defectu, cruditates aceſcentes, ibidem accumulantes, per ſtimulos ſuos ingratos, eaſdem moleſtias praebeant.

Dolores abdominis violentiores.] Ab irritationibus, ſpaſmiſque violentis, per calculos biliares concitatis, dolor non raro cum ventriculo, duodeno, diverſiſque tubi inteſtinalis partibus, etiam communicatur.

Cutis pruritus.] Ex irritatione particularum biliarium in nervos cutaneos.

Saliva

Saliva quoque flava exſpuitur, &c.] Ab immenſa propemodum bilis copia ſanguini jam commiſta, ſaliva eâdem adeo impregnatur, ut non tantum colore ſuo immutetur, ſed etiam linguae papillis amaritiem impertiatur; necnon urinae cutiſque color nigricans, diverſorum humorum cum bile copioſae impregnationi debetur.

Corpus hydropicum evadit.] Prae bilis in primis viis defectu, functiones etiam corporis complures deficiunt, quo ſyſtema nutritione ſua naturali ac neceſſaria defraudatur; unde ſolidorum laxitas ſuperinducitur; et, à commiſtura bilis perpetua cum diverſis corporis humoribus, hi etiam ſolitos conſiſtentiae gradus amittunt, magiſque ſolubiles fiunt, et deinde mala hydropica enaſci conſueverunt.

PROGNOSIS.

Qualis autem cauſarum diverſitas, morbique progreſſus; talis, in omnibus, erit rerum prognoſis.

Morbus hicce ſi quidem ab inflammatione profectus ſit, eventus, ut plurimum, admodum ſane periculoſus: Si ortum ex hepatis ſchirro deduxerit, exitus perpetuo fere lethalis; ſicut ait Hippocrates, "In Ictericis, hepar durum fieri, malum" *(a)*. Pauci etiam, pancreatis tumoribus ſuperobruentibus, vel ductuum parietibus coaleſcentibus, male ſuperſtites, vix ac ne vix incolumes evaſerunt. At morbus Auriginoſus, ſymptomatis manſuetis, vel obſtructionibus, ab humore viſcido, aut à bile craſſa, fomitem trahentibus, haud aegre ſubmovetur. Si porro de canalium ſpaſmis exortus ſit, inflammatio prorſus extimeſcenda; multoque magis, ſi de calculoſis concretionibus. Hi vero calculi, quando minuſculi, per canalium meatus ad inteſtina viam quaerentes, expeditius tranſire queunt; quando vero majuſculi, formidoloſum profectó ſaluti diſcrimen ſecum ſimul afferunt: Licet enim Icterum perpetuum non ubique pariant;

à

(*a*) Aph. 42. § vi.

à crebrioribus tamen ejuſdem acceſſionibus, alii deinde morbi chronici fatales exoriri conſueverunt.

RATIO MEDENDI.

INDICATIONES.

1. CANALIUM bilem ferentium obſtructiones tollendae.

2. BILIS interim defectus in primis viis ſupplendus.

3. Tonus ſyſtematis corroborandus, morbuſque recidivus eſt impediendus.

1*mo*, Ex eis quae diximus de variis hujus morbi cauſis; ſatis liquet, maximam curam attentionemque, ad obſtructiones dimovendas, conatibus adeſſe oportere. Hinc methodos generales, ſingulis proprias, commonſtrare conabor.

§ I. INFLAMMATIO ET TUMORES, &c.

MINUITUR inflammatio venaeſectione, quae, prout ſymptomatum violentia depoſcit, ac prout aegri aetas vireſque ferant, iteranda eſt; inteſtina à faecibus induratis

duratis evacuentur per clyſm. leniter laxantia, vel per cathartica quae ſtimulò non nimis acri praedita; decoct. tamarind. cum ſen. aut ſal cathart. amar. in aqua ſolut. vicibus parvis ſaepiuſque repetitis, donec alvus bis terve reſponderit. Fotus emollientes hypochondrio dextro applicentur; clyſmata ex lacte et aqua commiſta, vel aqua tepida ſola, ſubinde injiciantur; dum enim per colon ea tranſeunt, calorem hepati partibuſque vicinis gratum relaxantem impertiuntur, qui ad irritationem minuendam, inflammationemque ſedandam, maxime confert. Potuum aqueorum diluentium affatim propinetur, cum diaeta parca et tenui; omnibus acribus phlogiſticiſque evitatis.

Methodus qua ſchirroſae indurationes reſolvantur, apud medicos diu multumque deſiderata, adhuc poſtulatur; cui hactenus, ut plurimum, omnia medicamentorum ſubſidia parum conferunt: Utcunque tamen, praeter methodos ſolitas, talibus in caſibus vulgo laudatas, quae tentâſſe

tentâſſe licuit, per medicamenta ſcilicet ſaponacea et attenuantia, ſales neutrales, tart. vitr. regen. &c. aquas marinas, et applicationes externas; pulv. é fol. cicutae vulg. vicibus accommodatis adhibendus; et cataplaſmata é decoct. cicutae cum mica panis confecta, dextro hypochondrio applicanda, ſemel iterumve ſingulis diebus repetenda, ſalutares interdum fortaſſe effectus praeſtare queunt. Sed, pleriſque in caſibus hoc ſolum reſtabit, ut corpus alimentis blandis mitioribuſque nutriatur; ut alvus laxa teneatur; et ut animi motus, ſolitaeque evacuationes, quam maxime, juſto moderamine conſerventur: Omnibus evitatis calefacientibus, ne cancrum inducerent.

Faeces induratae intra colon imprimis congeſtae, quando hunc morbum pariunt, catharticis lenioribus, vel clyſmatis leniter ſtimulantibus, eliminentur.

Si vero obſtructio à gravidi uteri preſſura proceſſerit, aegra nitatur quam maxime, ut ſiniſtro lateri recumbat; et

alvus

alvus clyſmatis laxantibus, vel medicamentis eccoproticis, modice ſoluta ſervetur.

§ II. Sordium in duodeno collectiones. Primae viae depurgentur emeticis lenioribus, ſcil. pulv. aut tinct. ipecac. oxym. ſcillit. catharticis ſtimulo haud forti praeditis, rhab. cum magn. alb. rhab. cum calom. tinct. rhei, &c. Diebus etiam intermediis, quando emetica vel cathartica non exhibentur, medicamenta ſaponacea ſaluberrimos ſane effectus praeſtiterunt, et ſcopum medici non raro optime attingunt.

§ III. Spasmi. Ut irritationes ſoeviſſimae conſopiantur, et ſtricturae ſpaſmodicae remolleſcant, ad cauſas remotas reſpiciamus oportet. Cum igitur à vi alicujus acrioris in ventriculum aſſumpti proveniunt, medicamenta et potulenta emollientia, mucilaginoſa, vel oleoſa, propinentur; fotus tepidi dextro hypochondrio applicentur, et inteſtina enematis

emollientibus, oleoſis, leniterque laxantibus, à faecibus induratis ſubleventur: Tali occaſione, etiam clyſmata ex aqua tepida cum L. L. ad gutt. circiter 40, 50, 60, 70, ſubinde injiciantur; quae, ſi intus aliquamdiu retinentur, calorem viſceribus abdominalibus gratum relaxantemque impertiuntur; qui ad ſtricturas ſpaſmodicas compeſcendas magnopere confert. Quando vero in morbis hyſtericis, hypochondriacis, aut flatulentis, &c. occurrunt, aſa foetid. ſagap. galban. caſtor. muſc. ſal. vol. camph. aliaque antiſpaſmodica, multo cum ſucceſſu adhiberi poſſunt; ſed, in omni fere occaſione ubi ſtricturae ſpaſticae hunc morbum pariunt, L. L. vel opium, balneis tepidis etiam ſimul uſitatis, remedia ſunt quibus tuto confidere licuit.

§ IV. Morbo Arquato à ductuum concretione laterum exorto; ut aeger breve tempus, quod ſibi in terris ſupereſt, minima cum moleſtia degat, ad ſymptomatum atrocitatem minuendam, methodus

methodus ſchirro leniendo apta, prius dicta, in uſum revocari poteſt; quoniam, rebus ſic conſtitutis, morbum depellere in medico non ſit.

§ V. BILIS CRASSA, &c. Si vero aeger plethoricus ſit, aut febris ſymptomata quaevis adſint, ſanguis mittendus; deinde emetica ex pulv. vel tinct. rad. ipecac. vin. antim. tart. emet. ſemel iterumve per ſingulas hebdomadas, exhibeantur; die etiam emetici exhibitionem inſequente, cathartica ex bol. rhab. cum calom. tinct. vel elix. ſacr. aliiſve quae ſtimulo ſatis forti valent, in auxilium advocentur: Sed, priuſquam emetica adhibentur, partes circa jecur fotibus, &c. dextro hypochondrio applicandis, vel ſemicupio, relaxandae ſunt. Medicamenta etiam ſaponacea, ſales neutri, aquae marinae, &c. frequentius repetita, optimos ſane effectus, in tali rerum ſtatu, praeſtant.

§ VI. CALCULI BILIARII. Cum vero ſymptomata ſoeviora, é calculis biliariis

liariis enata, ingraveſcunt; aegro plethorico, vel indiciis inflammationis praeſentibus, ad lanceolam primo confugiendum; medicamenta relaxantia, oleaginoſa, et antiſpaſmodica, ſicut in § III. praeſcripta, utenda: Nec non et applicationes topicae emollientes, enemata emollientia, ſed magis praecipue balneum calidum. Opiata, rebus ſic conſtitutis, quamvis inflammationis ſigna adſint, quae alioqui plerumque contra uſus eorundem indicarent; hic vero, maximo cum fructu, poſt v. s. &c. uſurpentur.

Quando dolores atrociores quieſcunt, ſi Morbus Arquatus et canalium obſtructio adhuc reſtat; tunc ad uſum emeticorum, catharticorumque, prout in § V. monuimus, caute adminiſtrandorum, confugiamus: Prius vero canales applicationibus enematiſque emollientibus, et balneo calido, relaxare conemur oportebit; et, poſt emetici operationem, opiata ad irritationes compeſcendas maxime proſunt.

Quamvis enim calculi biliares non raro ad molem majorem concreſcant; hiſce tamen methodis aliquamdiu obſervatis, medicamentis ad propria intervalla repetitis, et eorum viribus, prout res poſtulat, adauctis vel diminutis, canales nonnunquam majorem in modum dilatari, et calculi mirae magnitudinis detrudi, conſueverunt. Si vero tales conatus nihil proſunt, et morbus etiamnum viget haeretque; uſus herbarum aperientium, ſicut ſucci graminis, taraxici, &c. libere et diu continuatus, cum diaeta lactea, et aquis mineralibus ſubinde aſſumptis, prout ab illuſtr. Bar. Van Swiet. commendatus (*a*), denique tentandus.

Praeter varias autem methodos hactenus praeſcriptas, niſi tamen inflammatio vel alia ſymptomata prohibeant, maximi ſane momenti erit, ut aeger, prout vires ſuſtinere queant, variis ſeſe modis probe exerceat; omnibus tamen reliquis

(*a*) Comment. in Aph. Boer. Tom. III. p. 137.

reliquis exercitationibus equitatio palmam longe praeripit.

2*do*, Ut acidorum in primis viis nimis augeſcentium generatio praecaveatur, inteſtinorum motus periſtalticus leniter excitetur, alvuſque modice laxa conſervetur, medicamenta alcaleſcentia et amara optime conducunt. Inter haec, ea ſunt praecipue eligenda, quae ſtimulo non nimis forti valent; qualia bilis animalium inſpiſſata, ſapones rhabarbaro vel pauxillae quantitati aloëticorum conjuncti: Plantae etiam nonnullae, ut ſunt fol. abſinth. centaur. flor. cham. rad. gentian. &c. aqua vel vino infuſae, in uſum cum medicamentis ſaponaceis, haud ſine fructu, advocari queant. Horum quaelibet, bis terve in die, vicibus idoneis, aegrotantis viribus accommodatis, adhibeantur; praecipue quando medicamenta, in priore Indicatione Curatoria praeſcripta, haud uſurpantur. De victus ratione, tale regimen inſtituendum eſt, quod, facili operâ et ſine magno organorum chylopoëtico-

rum

rum labore, humorum indolem diteſcat. Sit ergo alimentum multum nutriens ſaepe datum; ſed mediocri copia, ne obruatur ventriculus. Hunc ſcopum optime attingunt juſcula é junioribus animalibus, et ſubinde ſorbitiones cum pane, oryza, &c. confectae, quae nuce moſchata, cinnamomo, vel aliis aromaticis aegro gratiſſimis, condiri debent; hujuſmodi alia pro aegri lubitu varianda: Nonnunquam etiam caro ovilla, vitulina, leniter aſſata, indulgenda; panis potuſque probe fermentata ſint: Nec tamen, niſi inflammatio adſit, ab uſu veteris Bacchi omnino abſtinendum; ſed ejus mediocris vis quotidie ingurgitanda.

3tio, Obstructionibus vero canalium tandem dimotis; ut tonus ſyſtematis corroboretur, primae viae ſubinde depurgandae catharticis ſtomachicis, tinct. vel elix. ſacr. tinct. rhab. &c. Medicamenta amara corroborantia, una cum elix. vitr. Aquae chalybeatae, vel mar-

tis

tis praeparata, cortex peruv. lavatio frigida, diaeta refocillans, utenda. Medicina etiam gymnaſtica minime omittenda. Praeterea vero, ut ductuum biliarium meatus liberi patulique conſerventur, emeticum ſubinde exhibendum; et, ne alvus ſtrictior evadat, ſemper maximâ curâ praecavendum.

FINIS.